

fn. § 4. *C. de temp. appell.*); quia tunc iudex ad quem fatetur jurisdictionem ad se devolutam non fuisse.—2.º Exequutor mixtus, cui non mera exequutio, sed etiam cognitio circa faciendam exequutionem commissa est, admittere potest exceptionem ad retardandam exequutionem, non verò ad sententiam impugnandam; sed si circa hanc aliquid opponatur, v. g. à tertio ignorante sententiam fuisse latam, id ad iudicem principalem referendum est (*l. 73. ff. de judic.*) At exequutor merus, cui non cognitio, sed merum exequendi ministerium commissum est, regulariter nullam exceptionem admittere potest, nisi sententia esset invalida, vel notoriè injusta (*l. 6. 8. C. de exeq. rei jud. c. 28. de off. deleg.*) Ceterum is, contra quem tres sententiæ conformes latæ sunt, non auditur agens de nullitate earum, nisi priùs exequutioni mandentur (*Clem. 4. h. t.*)—3.º In actionibus realibus exequutio statim post decendum decerni potest in rem, de qua litigatum fuit, quia hæc præstò est ad restituendum, nisi possessor ob impedimentum statim illam restituere non posset; et tunc datis fidejussoribus aut pignoribus, tempus ei præfigitur ad restituendum (*l. 68. ff. de R. V. c. 6. h. t. §. 2. 3. Inst. de off. jud.*); at in actionibus personalibus et debitis, cum pecunia numerata non semper sit præstò, debitori condemnato conceditur quadrimestre ad solvendum (*c. 13. h. t. l. 2. 3. pr. C. de usur. re jud.*) In criminalibus pro exequutione pænæ corporalis nec decem dies expectantur (*l. 18. C. de pænis.*)

271. Q. IX. *Quæ sit pæna temerè litigantis, qui inconsultò seu sine prævio sufficienti examine litem movit?*

R. Hodie est sola mulcta pecuniaria, seu condemnatio in expensas necessarias et moderatas, quarum causa fuit, ut eas resarciat victori (*c. 5. de dolo c. 4. de pæn. l. 79. pr. ff. de jud. § 4. Inst. de pæn. temer. litig.*) Expensæ tamen delicatæ et voluntariæ, ut sumptus justo majores in itinere, dona advocatis data etc. non refunduntur. Is autem censetur temerarius litigator, qui libellum mutavit, ab una actione transeundo ad aliam, vel qui nihil pro causa sua probabit, vel personam cui reverentia debetur, sine venia prætoris in jus vocavit etc. Econtra à pænis temerè litigantium excusatur, qui justam habuit causam litigandi: ut si semiplenè provavit et speravit se admittendum ad juramentum suppletorium; si confidit in sententia plurium DD. vel unius celebris; si causam auctoritate principis vel metu gravis pænæ suscepit etc.

272. Q. X. *Quæ sit pæna iudicis malè judicantis?*

R. 1.º Si ex dolo et malitia malè judicavit, et ad hoc inductus est timore, gratia vel odio, tenetur parti læsæ ex delicto vero ad solidam litis æstimationem (*l. 13. ff. de jud. l. fn. C. de pæn. judic.*). Si ad hoc inductus est pecunia, in causa civili, præter litis æstimationem, tenetur triplum dati et duplum promissi reddere, ac dignitate penitus privatur; in causa verò criminali, confiscatis omnibus bonis mittendus est in exilium (*auth. novo jure C. de pæn. jud. et. Nov. 124. c. 2.*), idque in detestationem tanti delicti.—2.º Si iudex malè judicavit per imprudentiam vel imperitiam, tenetur ex quasi delicto ad litis æstimationem; non quidem in solidum, sed quantum videbitur Religioni illius, qui illum, considerata culpæ

qualitate, condemnabit (*l. 5. §. 4. ff. de O. et A. pr. Inst. de oblig. ex quasi del.*)—3.º Si iudex ecclesiasticus favore vel per sordes aliquid egerit, præter litis æstimationem, punitur pæna suspensionis ab officio, modo judicaverit formaliter injustè seu contra propriam conscientiam (*c. 1. h. t. in 6.*); quæ tamen pæna non comprehendit Episcopum ex privilegio (*cap. 4. de sent. excomm. in 6.*), neque extendi debet ad arbitrum, vel merum exequutorem.

TITULUS XXVIII.

DE APPELLATIONIBUS, RECUSATIONIBUS ET RELATIONIBUS.

273. *Nota I.* Partì per sententiam læsæ competere varia remedia. Et quidem, si sententia ex aliquo capite est invalida, datur unicum remedium nullitatis, quod rariùs solum, frequentius cumulativè cum appellatione proponitur et quidem, utilissimè, quia si pars defecerit in probanda nullitate, recursum habet ad probandam iniquitatem sententiæ (*l. 4. C. de exequut. rei jud. l. 1. C. de sent. ex peric. recit. Clem. 4. de sent. et re jud.*) Hoc remedium seu querela nullitatis seorsim et principaliter intendenda, de jure com. durat triginta annis ex dispositione generali (*l. 3. C. de præscr. 30.*); nisi jure statutorio vel consuetudinario brevius tempus ei præfigatur, sicut decem dies in camera imper. (*R. J. an. 1645. §. 121.*) Si sententia injusta est, contra ejus injustitiam datur remedium ordinarium appellationis, et remedia extraordinaria: ut restitutio in integrum, supplicatio Principi facta, ut ex gratia supplicantem gravatum restituat adversus sententiam, contra quam non suppetit ordinarium remedium appellationis (*lib. 5. et seq. auth. C. de precib. Imper. offic.*)—*Revisio* in locum supplicationis subintrans, est remedium quo petitur, ut Superior per se vel per alios revisores sententiam revideat, et si iniquam repererit, eam reformet. Circa hanc consulenda sunt statuta cujusque loci, cum jure communi non concedatur.

Nota II. Quod appellatio sit: provocatio ab inferiori ad superiorem ob justam causam gravaminis, partim ut gravamen tollatur, partim ut iniquitas aut imperitia iudicis corrigatur, partim ut defectus in probando admissi in secunda instantia emendentur; licet quandoque per accidens sententiæ latæ in secunda instantia in pejus reformentur (*l. 1. pr. ff. h. t.*) Porrò appellatio est duplex: *judicialis*, quæ interponitur ab actibus judicialibus, vel ante litem contestatam à brevi termino ad comparendum,

a.—Agitur de hac materia in Sexto, et Clementin. *h. t.*—In Decreto 2. q. 6.—In Trident. sess. 13. c. 1. in *fn.* et c. 2. 3. de *ref.* sess. 22. c. 7. sess. 24. c. 10. 18. 20. sess. 25. c. 14. v. *nec quævis de ref.*—In Pandectis *lib. 49. tit. 1. usque ad 13.*—In Codice *lib. 7. tit. 62. usque ad finem Nov. 13.*

vel post litem contestatam ab aliqua sententia interlocutoria, vel post sententiam definitivam, dum ab ista vel ejus executione appellatur; *extrajudicialis*, quæ fit ab actibus extrajudicialibus, quibus quis gravatur, ut à delatione tutelæ vel alterius oneris, uti etiam à gravamine, quod à privatis infertur vel inferendum timetur in præsentatione, electione etc. Divisio ista fundatur in utroque jure: ut *c. 19. et 29. de elect. c. 5. 46. 51. h. t. c. 8. eod. in 6. l. 1. §. 1. et seqq. ff. quando Appell. l. 7. c. h. t.*—Utraque, vel est *justa*, vel *rationabilis* ex justa causa, quæ admittenda est; vel *frivola* ex levi causa, aut *frustatoria* tantum litis protrahendæ causa: quæ tamquam temerariæ rejiciendæ sunt.

Jam agendum erit de appellationibus, judice, causis, modo et effectu appellationum; et tandem de recusationibus et relationibus.

274. Q. I. *Qui appellare possint?*

R. Regulariter omnes quibus intra vel extra judicium gravamen illatum est, vel inferendum timetur (*Can. 10. ideo 2. q. 6. c. 61. h. t. l. 1. ff. et l. 20. 30. C. eodem.*) Et quidem, non solum condemnatus, sed et ii, quorum interest, appellare possunt: ut hæres pro cohærede, maritus pro uxore, venditor pro emptore, fidejussor pro debitore principali, pater pro filio et contra, dominus pro subdito, Episcopus pro Clerico, quilibet pro condemnato ad supplicium, cum innocentem defendere omnium intersit (*l. 6. ff. et l. 29. C. h. t.*); imò judex, si succedat condemnato, citra notam imperitiæ contra suam sententiam appellare potest, si deinde comperiat, quod pars victa debite intentionem suam non probaverit. Interdum etiam utraque pars appellare potest, si sententia super pluribus articulis lata, in uno uni, in altero alteri nocet (*c. 7. h. t.*) Excommunicato admittitur appellatio judicialis, tanquam defensio (*c. 5. 8. 11. de except.*), non tamen regulariter extrajudicialis, quæ vim conventionis habet.

Appellare non possunt:—1.º Qui expressè, aut tacitè sententiam approbavit, vel legitime citatus contumaciter dixit, se nolle venire (*l. 23. §. fin. ff. huj. tit.*)—2.º Qui in eadem causa non detulit legitimæ appellationi sui adversarii (*c. 42. h. t.*); nam quod quisque juris in alterum statuit, eodem ipse uti debet.—3.º Qui tribus conformibus sententiis condemnatus est, ab ultima appellare nequit, quia præsumptio juris et de jure est pro æquitate sententiarum et contra reum, quòd causam iniquam foveat (*cap. 65. h. t.*)—4.º In notorio crimine, vel si copulativè adsit propria confessio in jure, et convictio criminis (*l. 2. C. quor. appell. c. 13. 14. h. t. Can. 4. §. nullus 2. q. 6.*) Denique:—5.º Qui juravit se non appellaturum, regulariter in causa civili nequit appellare, nisi sententia esset notoriè injusta; quia tunc juramentum in materia juris præstitum, secundum jus interpretandum est sub tacita conditione: *si sententia juri et justitiæ conformis est* (*arg. c. 13. de Cler. non resid.*)

275. Q. II. *An appellatio unius pressit ceteris correis ejusdem causæ consortibus?*

R. Cum distinctione: si unus reus in prima instantia condemnatus est, et in secunda instantia vicit, appellatio ejus prodest ceteris ejusdem litis consortibus, eadem defensionis causam habentibus (*c. 72. h. t. et l.*

10. §. fin. ff. eod.) Nam sententia appellationis fertur super sententia primæ instantiæ; ergò cum pro uno non possit esse vera, et falsa pro altero, cujus eadem est causa et idem jus, necessariò debet prodesse etiam alteri. At si sententia primæ instantiæ lata est pro uno, sententia secundæ instantiæ, utpote priori conformis, non prodest ceteris, nisi causa sit indivisa, ut in servitutibus. Schmalz à n. 15.

276. Q. III. *A quo, et coràm quo judice appellari debeat?*

R. 1.º Appellatur à judice inferiori, sive ordinario, sive delegato, qui sententiam tulit (*l. 32. §. 2. h. t.*); et in hujus defectum appellatio interponenda est coràm judice *ad quem*; et si neutrius copia haberi potest, vel si propter metum gravem non expedit appellationem interponere coràm judice *à quo*, facienda est appellatio coràm viris honestis, vel notario cum protestatione, quod coràm judice appellari non potuerit (*c. fin. h. t.*); quod si autem sententia à pluribus judicibus lata est, et omnium simul aut seorsim copia ad appellandum haberi nequit, saltèm coràm uno appellandum est (*Clem. 1. h. t.*)—2.º A judice supremo nulla datur appellatio, cum is superiorem non recognoscat, nisi per accidens sententia Principis politici esset manifestè injusta; tunc enim ad Papam appellari posset, qui ratione peccati est judex eompetens et supremus omnium fidelium (*c. 13. de judic.*) Ab ipso autem Papa, qui in terris nulli judici subjectus est, nulla datur appellatio, ne quidem ad concilium generale; imò sic appellantes ipso facto incurrunt excommunicationem Bullæ Cænæ (*casu 2*) Similiter rejicitur appellatio à Papa malè informato ad eundem, ut benè informatum; sed si sententia Romani Pontificis in melius reformanda est, opus est supplicatione et restitutione in integrum (*c. 5. de in integr. rest.*) Præterea non datur appellatio à concilio generali suo capiti unito, nec à sententia totius sac. Collegii Cardd., nec à Rota Romana et supremis tribunalibus Principum, nec ab Episcopo in casu, quo laici non subditi, prorogando ejus jurisdictionem, se illi submiserant (*l. 8. C. de Episcop. aud.*)—3.º Judex *à quo*, tenetur ex justa causa deferre cuihbet appellationi, cum appellans utatur jure suo, nisi appellatio specialiter sit prohibita (*l. 24. C. h. t. c. 15. eod.*) In dubio, an causa sit justa, propter reverentiam judicis superioris deferendum est appellationi. Si autem judex justæ appellationi non deferat, præter damnum litis, mulctatur 10 libris auri, ex *Nov. 126. c. 3.*; et jure antiquo mulctabatur 30 libris (*l. 21. C. h. t.*); de jure Canonico saltèm si non deferat appellationi ad Papam, deponitur (*Can. 11. §. si autem, 2. q. 6.*), vel arbitrariè punitur (*c. 31. h. t.*) Quod si ab interlocutoria appelletur, Judex non tenetur deferre appellationi; imò progredi potest in causa, donec ei legitime prohibeatur, *c. 5. 7. h. t.*

277. Q. IV. *Ad quem judicem appellandum sit?*

R. 1.º Ad Superiorem; et quidem gradatim, sicut in ecclesiasticis ab Archidiacono ad Episcopum, ab hoc ad Archiepiscopum, Primatem, Patriarcham, et tandem ad Sedem Apostolicam; ubi ex concessione plurium Pontificum, Auditor Cameræ Apostolicæ est ordinarius judex omnium appellationum, exceptis causis beneficialibus et matrimonialibus, et quibusdam aliis, quarum cognitio ad Signaturam justitiæ et Auditores sacræ Ro-

tae pertinet. Ratio hujus ordinis est, ne confundantur jurisdictiones Ecclesiasticæ (c. 66. h. t. c. 3. eod. in 6.); si tamen pars adversa non contradiceret, probabilius valeret appellatio ad Superiorem mediatum, ut colligitur ex cit. c. 66. h. t. Sic etiam in Religionibus à Prælato locali appellandum est ad Provinciale, ab hoc ad Generalem, tum ad Protectorem, Sac. Congregationem negotiis Episcoporum et Regularium præpositam, tandem ad Sedem Apostolicam.—2.º A delegato appellatur ad delegantem, vel ejus in officio successorem (arg. l. 21. §. 1. ff. h. t.); à subdelegato ad delegatum subdelegantem, nisi totam suam jurisdictionem subdelegasset; tunc enim ad primum delegantem esset appellandum (c. 27. §. porro de off. deleg. cap. 7. 44. eod. in 6.), uti etiam in casu, quo condelegatus subdelegat suo collegæ condelegato, ne appellatio videatur fieri partialiter ad eum, qui iudex fuit (c. 27. §. si verò, de off. deleg.) Quòd si Episcopus causam alias subjectam jurisdictioni officialis subdelegavit, regulariter appellari potest non tantum ad Episcopum delegantem, sed etiam ad ejus Officialem seu Vicarium generalem, cum utriusque sit idem tribunal (c. 3. pr. h. t. in 6.); nisi expressè constaret, quod Episcopus talem causam subduxerit jurisdictioni vicarii. Pirhing et alii.—3.º Ex speciali præeminentia et privilegio, à quolibet iudice Ecclesiastico (et in territorio papali à iudice laico) immediatè appellari potest ad Papam (Can. si quis 2. q. 6. c. 7. 34. h. t.) Nam Papæ jurisdictio est concurrens cum jurisdictione omnium Ordinariorum; excipe subdelegatum delegati Papæ, nam ab illo ad hunc appellandum est (cit. c. 27. §. porro de off. deleg.); item in provincia immediatè appellari potest ad legatum Papæ, cujus jurisdictio est concurrens (c. 4. de off. legat.) Si verò causa agitata sit coràm Ordinario et delegato Papæ, appellatur ad Papam, quia delegatus tanquam major trahit ad se Ordinarium tanquam minorem. In foro civili regulariter non permittitur immediata appellatio ad Imperatorem (l. 21. ff. h. t. l. 29. C. eod.), nisi miserabilibus personis et studiosis (l. un. C. quand. Imp. int. pud. Auth. habita, C. ne filius pro patr.)—4.º In casu, quo ex duobus litigantibus unus appellat ad Superiorem proximum, et alter ad remotum in eodem capitulo, si iudex inferior scit interpositam esse appellationem ad superiorem, non potest procedere in causa, quia jurisdictio Superioris absorbet jurisdictionem inferioris (arg. l. 54. §. 1. ff. de re jud); secus rectè procedit, donec appellans ad iudicem mediatum ei legitime manifestet suam appellationem (arg. l. 2. ff. si quis in jus voc.); cum citius non desinat ei esse subditus in hac causa.

278. Q. V. In quibus causis admittatur vel negetur appellatio?

R. 1.º In omni causa, in qua quis gravatur, regulariter admittitur appellatio (Can. 20. liceat, 2. q. 6.). Et quidem, si appellatio est judicialis, debet esse gravamen illatum vel comminatum; si verò est extrajudicialis, sufficit gravamen futurum, licet non sit comminatum (c. 60. h. t. Clem. 3. eod.)

2.º Appellatio non dimittitur in seqq.—I. A sententia interlocutoria, de jure novo Tridentini (sess. 13. c. 4. et sess. 24. c. 20. de refor.) conformiter juri civili (l. 7. C. quor. appell. non recip. l. 6. C. de jud. l. 2. C. de

Episcop. aud.) Excipe, nisi interlocutoria vim habeat definitiva, vel contineat gravamen non reparabile per definitivam (l. 39. ff. de minorib. Tridentin. loc. cit.)—II. In causa correctionis, si Prælatus, ut pater procedat juxta sacros Canones aut propriam regulam, ad observantiam disciplinæ Ecclesiasticæ aut regularis (Trid. sess. 13. c. 4. et sess. 24. c. 40. de refor. c. 3. 26. h. t. etc.) Nam hoc modo appellans, sacros Canones et regulam redargueret iniquitatis; at si Prælatus procedat ut iudex, vel in corrigendo modum excedat, ut imponendo jejunium triduanum, cum regula statuatur biduanum, rectè ab ilius correctione appellatur (Trid. loc. cit. c. 48 de off. Ord.) In hac autem appellatione exprimi debet, quod Prælatus in corrigendo modum excesserit, ut Superior cognoscat appellatum esse in casu permissio.—III. In causa censurarum, excommunicationis etc., si latae sint ante appellationem, quia statim ligant animam, ut tantò magis timeantur (c. 37. h. t. c. 20. in fin. de sent. excom.). Ut autem superior de justitia censuræ cognoscat, licitè appellatur, uti etiam in casu, quo quis non à divinis officiis, sed v. g. à voce activa et passiva, à perceptione fructuum et similibus suspensus est; nam tunc appellatio utrumque effectum parit, suspensivum, et devolutivum.—IV. In causa electionis ad impediendam ejus executionem; et tunc non obstante appellatione, electus investiri et in pacificam possessionem mitti debet, nisi appellans valdè gravem et rationabilem causam allegaret (cap. 46. h. t.) Nam appellans præsumitur malitiosè velle protestationem investituræ electi. At post executionem electionis liberè potest contra electum agere (ibid. 6.)—V. In causa momentaneæ possessionis, quæ celeriter expedienda est, ne partes ad arma convolent (l. un. C. si de moment. poss.), cui consonat Trid. sess. 13. c. 4. et sess. 24. cap. 20. de refor. prohibens appellationem ab interlocutoria, et consequenter etiam à decreto possessorii momentanei seu summarissimi, quod sententia interlocutoria dicitur: Can. 42. ei qui 2. q. 6. in §. de possessione etiam, et ejus momento si causa dicatur (quæ sententia interlocutoria appellatur) quamvis provocatio interposita fuerit, tamen lata sententia sortiatur effectum. Nam sententia ista in possessorio summarissimo parvi est præjudicii, et facile reparari potest in possessorio plenario vel petitorio; at si instituat possessorium ordinarium seu plenarium, in quo plerumque magnum vertitur præjudicium, admittitur appellatio, maximè per jus Canonicum antiquum (c. 5. 42. h. t. et c. 7. et fin. de caus. possess.); atque id hodie servatur, cum judicia possessoria, quæ olim erant extraordinaria, hodie elevata sint ad formam judiciorum ordinariorum. Aliter ista jura conciliat Reiff. à n. 304. dicens, jure civili negari appellationem solùm quoad effectum suspensivum, non verò devolutivum; sed prior doctrina magis recepta et praxi accomodatior est, maximè cum jus simpliciter negando appellationem, nihil excipiat.—VI. In causa testamenti non appellatur à sententia, qua iudex præcipit testamentum aperiri, et hæredem institutum mitti in possessionem hæreditatis (l. fin. ff. de appellat. recip. l. 6. C. quor. appellat. non recip.)—VII. Dantur præterea multi casus videndi apud Reiff. Schmalz, Pirh. et alios fusiores, in quibus non conceditur appellatio; ut in delictis notoriis, in executionibus, modò exequutor non excedat limites mandati; in causa

nominationis ad munera publica privatam utilitatem concernentia, ut ad tutelam, nisi adesset causa excusans; item in causis alimentorum; in crimine falsæ monetæ, læsæ majestatis, hæresis, raptus etc.—VIII. Denique dum causa committitur decidenda cum clausula: *remota appellatione*, quam solus supremus princeps apponere potest, cum inferior derogare nequeat juri communi concedenti appellationem.

In Constit. Benedict. XIV. *Ad Militantis* (30. Martii 1742.) referuntur sequentes causæ, in quibus appellatio cum inhibitione in suspensivo concedi prohibetur, non obstante quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili, aut privilegio, sub pœna nullitatis actorum, etiam quoad citationes expediri solitas coram Signaturæ Præfecto, ad effectum comparandi, aut adeundi eandem Signaturam:

1. A decretis, quorum exequutio à Tridentino demandata est locorum Ordinariis, etiam uti Sedis Apostolicæ delegatis, appellatione vel inhibitione quacumque postposita.

2. Ab eorum decretis tam in visitatione, quam extrâ, circa cultum divinum conservandum vel augendum; et præcipuè circa missæ celebrationem.

3. A decretis cogentibus Clericos tam sæculares, quam regulares, etiam monachos et exemptos ad processiones publicas, servata tamen forma Constit. Pii V. *Et si mendicantium*, et circa præcedentias in eisdem inter dictos Clericos, vel associatione cadaverum, delatione umbellæ, etc., ac super observantia censurarum etiam Episcopalium et festorum diœcesum.

4. A decretis circa curam animarum et Sacramentorum administrationem, aliaque Parochialia munera, etiam quoad exemptos, tam sæculares, quam regulares.

5. A deputatione Vicariorum, etiam perpetuorum, cum assignatione congruæ in Parochialibus perpetuò unitis quibuscumque Ecclesiis aut locis piis.

6. A visitatione dictarum Ecclesiarum Parochialium et aliarum quorumcumque quomodolibet exemptarum; et à decretis circa earundem reparationem et curam animarum.

7. A decretis, quibus Episcopi, etiam uti Sedis Apost. delegati, cogunt rectores Ecclesiarum Parochialium aut baptismalium ob populi numerositatem sibi tot Sacerdotes adjungere, quot sufficiant ad Sacramentorum administrationem; aut quibus ob grave populi incommodum ad hæc percipienda, ipsi etiam invitis, novas Parochias constituunt cum assignatione competentis portionis; vel quibus tandem ob paupertatem, et in ceteris casibus à jure permissis perpetuò alia simplicia beneficia uniant.

8. A deputatione coadjutorum, aut vicariorum Parochialium Ecclesiarum, ob earum rectorum illiteraturam vel suspensionem, aut etiam privationem, quando turpiter et scandalosè vivunt, si moniti incorrigibiles perseverant.

9. A translatione beneficiorum simplicium, etiam juris patronatus, ex Ecclesiis collapsis, quæ ob inopiam reparari nequeunt, in matrices aut alias Ecclesias cum omnibus emolumentis et oneribus, vocatis iis quorum

interest; et à decretis cogentibus patronos, rectores, beneficiatos, aut parochianos ad restaurationem Ecclesiarum parochialium, servata forma Trident. sess. 21. c. 7.

10. A censuris, sequestratione et subtractione fructuum contra curam animarum habentes non residentes.

11. A denegatione, revocatione, suspensione vel restrictione facultatis audiendi sæcularium confessiones contra sacerdotes non Parochos, etiam regulares.

12. A divisione seu distinctione parochiarum, earumque institutione in titulum, juxta Trident. sess. 24. *de reform.* c. 13., ubi: Parochiæ, vel certos non habent fines, qua de causa earum rectores promiscuè petentibus Sacramenta administrant, vel nullæ sunt.

13. A deputatione æconomi tempore parochialis Ecclesiæ vacantis; sicut et ab indictione concursus, relatione examinerum, prælectione et provisione Episcopi in eodem concursu.

14. A decretis contra habentes publicas lectiones, necnon prædicationem verbi Dei sine licentia Episcopi, etiam à regularibus in alienis Ecclesiis; et in suis, non petita ejus benedictione, juxta Const. Clem. X. *Superna*.

15. A decretis circa clausuram monialium, ac punitionem delinquentium in eam et personas intra eam degentes. Item circa examen pro approbatione vel reprobatione confessariorum earundem, tam ordinariorum, quam extraordinariorum, et tam sæcularium, quam regularium quomodolibet exemptorum; etiam pro monialibus subjectis iisdem Regularibus: sicuti et contra earundem ministros, tam pro mala administratione, quam pro reddenda singulis annis bonorum ratione; ac demum circa quorumcumque ipsorum officialium amotionem, servata forma, quoad Regulares et exemptos, Constit. Gregor. XV. *Inscrutabili*.

16. A pastoralis visitatione diœcesis, et præsertim monasteriorum commendatarum, abbatiarum, prioratum et præpositurarum, in quibus non viget regularis observantia, ac beneficiorum tam curatorum, quam non, sæcularium et regularium, qualitercumque commendatarum, etiam exemptorum, et ab exequutione decretorum in ipsa visitatione factorum, sicuti et ab illis factis extra visitationem pro conservatione et reparatione disciplinæ Ecclesiasticæ circa vitam, mores, honestatemque quorumcumque Clericorum, ac luxum, commessationes, choreas, lusus, crimina et secularia negotia evitanda, ad formam tamen decretorum Congreg. Episc. edit. ann. 1600 de mandato Clem. VIII.

17. A decretis cogentibus præsentatos, electos, vel nominatos quibusvis Ecclesiasticis personis, etiam Sedis Apost. Nunciis, ad se subjiciendum examini Ordinariorum, antequam instituantur et confirmantur.

Vide notata in Elencho consuetudinum abrogatarum à Concil. Trident. num. 7. in fine secundæ partis.

18. A denegatione promotionis ad sacros ordines, et à suspensione susceptorum ob crimen occultum, sive ex informata conscientia.

19. A præfixione termini pro punitione Regularis Episcopo non sub-

jecti, degentis intra claustra, sed extra notoriè scandalosè delinquentis, facienda à suo Superiore, et pro notitia punitionis hujusmodi Episcopo danda.

20. A censuris, aliisque provisionibus contra concubinariorum; et etiam contra detinentes mulieres suspectas domi, aut extrà.

21. A privatione privilegii fori, et à decretis contra Clericos non incedentes in habitu et tonsura; et in aliis casibus à Trident. præscriptis *sess. 14. c. 6. et 23. de reform.*

22. Ab approbatione et reprobatione patrimonii pensionis, aut beneficii, quoad promovendos ad sacros ordines.

23. A convocatione capituli facta ab Episcopo pro deliberando aliquo negotio cum voto capitularium, ad ipsius tamen vel suorum commodum non spectante.

24. A decretis circa conversionem tertiæ partis quorumcumque proventuum et obventionum, tam dignitatum, quàm canonicatum, personatum, portionum et officiorum in distributiones quotidianas, earumque divisionem inter dignitates obtinentes, et alios divinis interessentes in Ecclesiis cathedralibus et collegiatis, in quibus nullæ sunt hujusmodi quotidianæ distributiones, vel sunt ita tennes, ut verisimiliter negligantur, juxta Trident. c. 3. *sess. 21. et sess. 22. c. 3. de reform.*

25. Ab exequutione piarum dispositionum tam in ultima voluntate, quàm inter vivos, juxta idem Trident. dicta *sess. 22. c. 8.*

26. A visitatione hospitalium et quorumcumque piorum locorum, etiam exemptorum, et à laicis administratorum, collegiorum, confraternitatum, elemosynarum, montium pietatis, ac à cognitione et exequutione pertinentium ad Dei cultum et pauperum sustentationem, atque à ratione administrationis eorumdem locorum singulis annis Episcopo reddenda; nisi aliter in ipsorum institutione et ordinatione expressè cautum fuerit, juxta *cit. c. 8. sess. 22. et cap. 15. sess. 7. cap. 9. sess. 22. et cap. 8. sess. 25.*

27. Ab examine, suspensione vel remotione quorumcumque notariorum scribentium in causis Ecclesiasticis, juxta c. 10. *dictæ sess. 22.*

28. Ab erectione seminarii, et præfixione taxæ imponendæ dignitatibus, personatibus, officiis, præbendis, portionibus, Abbatibus et Prioratibus cujuscumque ordinis, etiam regularium hospitalium (quæ dantur in titulum vel administrationem), beneficiis quibuscumque tam regularium, quàm jurispatronatus, exemptorum et nullius diœcesis, vel annexis aliis Ecclesiis, monasteriis, hospitalibus aut quibusvis locis piis, licèt exemptis; ac tandem imponendæ redditibus pertinentibus ad fabricas Ecclesiarum, confraternitates, et monasteria omnia (non tamen mendicantium), et decimis quacumque ratione spectantibus ad laicos et milites, cujuscumque militiæ aut ordinis, excepto Hierosolymitano, nec ab unione aliquot beneficiorum simplicium; sicuti neque à decretis contra scholasterias obtinentes, quibus lectionis vel doctrinæ munus ad docendum aut per se, aut per alios est annexum. Nec denique à quibuscumque provisionibus curam, directionem et administrationem Seminarii respicientibus, juxta Trident. *sess. 13. de reform. c. 18.*

29. A reddenda ratione administrationis gestæ ab æconomo et vicario capitulari tempore Sedis Episcopalis vacantis, juxta Trident. *sess. 24 de reform. c. 16.*

30. A comminatione excommunicationis à jure latæ, et à sententiâ suspensionis et interdicti, nisi appellatio fuerit interposita ex capite nullitatis, et è converso à sententiâ absolutionis ab iisdem censuris.

31. Ab exequutione quorumcumque aliorum decretorum, locorum Ordinariis à Trident. et Constit. Pii IV. *Benedictus Deus* demandata.

32. In prædictis omnibus causis permittitur simplex duntaxat et extrajudicialis recursus ad S. Sedem, et juxta earum naturam appellatio in solo devolutivo ad quos de jure sine retardatione legitimæ exequutionis decretorum super eisdem causis; nunquam autem admittenda, nisi prius constituto de legitima ejus interpositione, et in causis à jure permissis.

33. Si denegatum fuerit instrumentum sententiæ, à qua appellatur, appellans tenetur producere in actis ejus copiam simplicem; et in inhibitione exprimenda est conditio: «quatenus verò tenor insertus verè et in substantialibus cum originali concordet, eodemque originali præsentis litteræ sint in tempore posteriores.» Alioquin nullæ et irritæ censeantur sub infrascriptis pœnis respectu notariorum, ut seq. numer. 35.

34. Si appellatum fuerit à gravamine, quod per definitivam separari nequit, si hoc est de carceratione jam secuta cum mandato verbali, non admittitur appellatio, nisi prius constituto de carceratione per depositionem duorum saltè testium; et interim appellans remanere debet in carcere, donec aliter decisum fuerit.—Si verò gravamen est de censuris jam prolatis, vel de comminatione carcerationis, torturæ aut censurarum, observanda est dispositio decretorum Cong. Episcoporum sub Clem. VIII, juxta declarationes Benedicti XIII, in appendice ad Conc. Rom. ibi: *Ad 12 et 13 decretum Clemen. VIII.*—Quoad absolutionem ultimam à censuris servetur dispositio supradicti decreti 12 Clement. VIII, juxta etiam canonicam sanctionem, quod in casu constet de justitia censurarum, debeat remitti absolutio danda ad judicem à quo: si verò constet clarè de injustitia, judex ad quem absolutionem impendat. Si verò adsit dubietas, an fuerit justa, honestius esset, ut ad excommunicatorem infra aliquem competentem terminum præfigendum absolvendus remittatur, licèt etiam judex ad quem hoc casu idipsum per se præstare jure possit.—Verùm quoad absolutiones cum reincidentia, quæ partibus concedi solent à judicibus, ad quos appellatur, ad effectum audiendi cum inoluerit usus, tam in tribunali A. C., quàm forsan etiam in metropolitanis aliisque tribunalibus appellationum, quod committantur absolutiones cuicumque confessario, ita ut rei absque ulla reverentia proprii Ordinarii pro absolutis se publicè habeant, Sanctitas sua statuit, ut in futurum hujusmodi absolutiones cum reincidentia tam in tribunali A. C., quàm in curiis metropolitanis, aliorumque judicum appellationum, committantur ipsis Ordinariis excommunicantibus cum clausula, ut infra tres dies absolvant censuratos, juxta commissionem; quibus elapsis, si requisitus Ordinarius absolvere recusaverit vel neglexerit, absolvantur à confessario juxta commissionis formam, quæ in præ-

senti servatur in dictis commissionibus absolutionum. Quoad verò censuratos in urbe commorantes, committi debeat absolutio Cardinali urbis Vicario seu jus Vicesgerenti, ac præfata servari etiam mandavit in absolutionibus, quæ conceduntur per Congregationes, prout jam religiose in ipsis servatum fuit. Declaravitque rursus Sanctitas sua, quod hujusmodi commissiones de absolvendo præsentari debeant cancellario Ordinariorum, à qua præsentatione currere debeant tres dies, post quorum lapsum, et non data absolutione, possint ab aliis absolvi, ut supra in commissione. — Quoad insuper censuratos mandat Sanct. Sua, quod reportata absolutione à censuris cum reincidentia, cedulones, quatenus affixi fuerint, amoveri non debeant, sed tantummodo tegantur, et tecti remaneant, durante termino obtentæ absolutionis.

35. Ab hac generali regula negandæ appellationis Pontifex excipit particulares casus, qui per Trid. Const. Apost. aut communem Doctorum sententiam in suspensivo admitti posunt; seriò tamen expendendi a iudice superiori, an sint de exceptis; et tunc aliter non concedenda, nisi adjecta hac clausula: «Nos enim, attentis juribus et supplici libello nobis præsentatis atque in actis exhibitis, sicut præfertur, inhibendum esse speciali rescripto mandavimus.» sub pœna nullitatis; notariis verò infamiae et perpetuæ inhabilitatis ad officium notarii in causis ecclesiasticis exercendum, ipso facto incurrenda, si præsumserint citationes cum inhibitione expedire sine tali speciali rescripto: ejus productione et insertione prædictæ clausulæ in actis: et insuper quoad notarios urbis quinquaginta ducatorum auri de camera; huic pro una medietate et pro altera parti recurrenti, sin minus locis piis arbitrio Pontificis applicandorum.

36. Item excipiuntur monitoria in causis privilegiatis coràm Auditore Camerae Apost. ejusque locumtenentibus, etiam in prima instantia tractandis, juxtà præscriptum Const. Pauli V. *Universi*, et citatas declarationes Bened. XIII. Quæ si expediantur ultra montes, offerri prius debet supplex libellus universam facti speciem clarè continens, et prævio ejusdem Audit. Cam. rescripto de ipsis expediendis sub pœnis, ut supra in notarios aliter expedientes,

37. Denique, in cit. Const. *Ad militantis* statuitur, ut causæ omnes tam civiles, quàm criminales ad forum ecclesiasticum pertinentes, exceptis privilegiatis et aliis de jure excipiendis, in prima instantia coràm locorum ordinariis cognoscantur, nec à quoquam advocari possint, nisi per viam legitimæ appellationis.

38. Circa appellationem in causis matrimonialibus, vide disposita ab eodem Bened. XIV. Const. *De miseratione* in additionibus ad tit. XIX. *de divortiiis* lib. IV.

Circa appellationem ab irrationabili iudicio ordinarii, quoad præficiendos Parochialibus ecclesiis, vide disposita ab eodem, Const. *Cum illud* in additionibus post tit. VII. *de Inst.* lib. III.

Circa præsentatos eisdem Ecclesiis à patronis, vide disposita in ejusdem Pont. responsione ad Archiepiscopum Florentinum *Reddite nobis* in additionibus ad tit. XXXVIII. *de jura patron.* lib. III.

Circa appellationem pro nullitate professionis regularis, vide ab eodem pariter disposita Const. *Si data* in additionibus ad tit. XXXI. *de Regul.* §. 2.

Circa appellationem de damno dato, vide tit. II. *de Foro compet.* pag. 689. post num. 27.

279. Q. VI. *An per clausulam remota appellatione, prohibeatur non tantum appellatio frivola, sed etiam aliàs justa et rationabilis?*

R. 1.º Affirmative: ita com. ex c. 53. *h. t.* ubi summarium ita habet: *Per clausulam remota appellatione, inhibetur omnis appellatio, quæ à jure non indulgetur expressè.* Nam si per clausulam istam prohiberetur sola appellatio frivola et frustratoria, clausula ista esset otiosa, nullumque operaretur effectum, cum aliunde constet, appellationem frivolam esse rejiciendam; ergò. Porrò clausula ista notabiles habet effectus; nam non obstante appellatione, iudex sententiam exequitur, acta illius de se valent, et rescriptum posterius, nisi faciat mentionem prioris cum clausula, non prævalet priori. Ipsa tamen appellatio sustinetur quoad effectum devolutivum (*cit. c. 53. h. t.*); quia adhuc iudex superior cognoscere potest de justitia sententiæ, et eam, si injusta est, rescindere. Et hoc sufficit gravato, ad naturalem defensionem, uti et supplicatio et alia remedia extraordinaria; et si sententia est invalida, querela nullitatis. — 2.º Dantur casus excepti, in quibus, non obstante dicta clausula, admittitur appellatio: — I. Si iudex recipere nolit exceptionem consanguinitatis, vel alterius justæ causæ, unde tanquam suspectus recusari potest (*c. 36. h. t.*) — II. Si non admittat exceptionem citationis ad locum non tutum (*c. 47. eod.*) — III. Si non faciat exprimi res petitas in libello (*cap. 49. eod.*) — IV. Si spoliato deneget restitutionem in casu permissio (*cap. 10. de rest. spol.*) — V. Si gravamen sit notorium, quia tunc cessat præsumptio justitiæ; et denique in omni casu, in quo jura simpliciter concedunt appellationem, licet non meminerint dictæ clausulæ (*cit. c. 53. h. t. Abbat. etc.*)

280. Q. VII. *An in causis minoribus admittenda sit appellatio?*

R. Affirmative, de jure com. (*c. 11. h. t. lib. 20. C. eod.*); nam etiam in minoribus potest quis gravari. At de jure camerale non conceditur appellatio, nisi summa adæquet saltè 400 imperiales (*R. J. de an. 1645. §. 112.*)

281. Pro sequentibus nota explicationem terminorum. — *Apostoli* seu *Missi*, sunt litteræ dimissoriæ, quas iudex à quo appellatur, ad instantiam partis, transmittit iudici ad quem appellatur, in fidem seu testimonium appellationis interpositæ (*l. un. ff. de liber. dimissor. l. 106. ff. de V. S.*); et sunt varii: — *Dimissorii* à iudice à quo, ad quem. — *Testimoniales* à notario, vel aliis viris honestis, qui testificatur appellationem coràm se interpositam fuisse in defectu iudicis. — *Refutatorii*, quibus iudex à quo significat quòd ex certa causa refutaverit, seu non admiserit appellationem (*l. fin. C. h. t.*); et hi hodie non sunt in usu. — *Reverentiales*, dum iudex à quo defert appellationi ob reverentiam superioris iudicis, licet forsàn non usquequaque adsit justa causa appellandi (*c. 1. h. t. in 6.*) Et hi hodie maximè sunt in usu.